

2.
(2)
Zweiter prüfer

f

I. N. J.

AD

QVINARIUM MOBILEM, —

DE

QVINARIO IMMOBILI,

A. MDCCXV. Id. XXVI, Septembr.

IN ACTU ORATORIO-VALEDICTORIO

DICTURUM,

IN AUDITORIO SCHOLÆ TOR-

GENSIS SUPERIORI,

AUDIENDUM,

HORA ANTEMERIDIANA VIII.

O.O. HONORATISSIMOS PATRONOS,

FAUTORES ET AMICOS,

QVAM HUMILLIME

INVITAT:

PETRUS PAULUS FERNO,

SUPRA DICTÆ SCHOLÆ RECTOR,



TORGÆ,

Typis JOHANN, ZACHARIÆ HEMPEL,



Benevolo, æquè ac Honoratissimo Lectori,
omnigenam prosperitatem!

Septenarium, numerum plenitudinis & perfectionis esse, & non dicam aliquid, sed multum in recessu habere, statuebant olim Pythagoræ sectæ Philosophi gentiles ex *ἑπτά αριθμῶν* facientes. Quid dico autem de his gentilibus philosophis, cum & Eruditi Christiani, Sacrarum Literarum ductu, huic numero, si non multum, tamen aliquid tribuant; is enim, ut taceam de septima die, quâ Deus à creatione quievit, Sæpius, & quidem circa magni momenti res, occurrit, quod assiduis Sacrarum Literarum Lectoribus, optimè notum. Cum itaque numerus septenarius, aliquid mystici in se contineat, multos viros eruditione claros non piguit, eundem calamo suo perfringere, erudito, inter quos, Philoponus, in opere de creatione Mundi, Andr. Riverus, in Genesin pag. 53. Seldenus, Flacius, & alii plures numerantur. Quicquid autem statuarur de hoc numero, manet certe & Quinario sua autoritas. Legimus de quinario Num. 3. Cap. v. 47. Gen. 47. Cap. v. 26. item 41. v. 34. Cui porro ignotus est Quinarius lapillorum, quos David ex rivo quodam collegerat, Philistinum illum Gigantem illis petiturus, Vid. 1. Sam. Cap. 17. v. 40. Quis autem negabit? quod hi quinque lapilli, elegantissimus typus fuerint, quinque vulnerum Christi, Salvatoris nostri dulcissimi, Ecce! quam pulcherrimè, rerum omnium Creator, hominem exornavit, membrorum summè necessariorum Quinario; nempe uno capite, duabus manibus, & duobus pedibus; quod cuilibet ante oculos versatur. Et, nonne iterum manus quinque digitis, incluso pollice, mirum in modum ornatae sunt? utiquè; ut jam quinarium pedum sileam. Hinc, si forte natura hæc in parte, in homine aliquo, vel in excessu, vel in defectu erravit, is jure monstrosus dicendus. Multa, sane, adhuc commemorari possent de Quinario, utpote de quincunce, ad cujus formam, arbores in pomariis, antiquitus plantari & dirigi solebant, teste Quintiliano, Libr. 8. cap. 3. item Columella, Libr. 3. cap. 13. præterea, de Quinario festi Minervæ, quod aliàs quinqvatus nominatur. De quinque illis certaminibus Græcorum, qui fuerunt: cursus lucta, saltus, iactus, & pugilatus, quos Simonides hoc versu complexus est: *ἀθλα, ποικίλων, δίκων, ἀκον*
ῶν, καὶ ἄλλων. vid. ejusd. Antholog. Libr. 1. cap. 1. Et de aliis denique pluribus
Quina

Quinariis; Sed, quoniam propositi nostri non est, fufius de Quinario agere, sed tantummodo paulisper, ad titulum hujus inconcinni scripti, alludere, ulteriore commemoratione Quinariorum, superfedebimus. Quod autem statim prima fronte tituli, mentionem faciamus Quinarii, causa est: quod quinque nostri Lycei cives valedicturi, de quinque Zonis terrestribus, sint verba facturi. Appellamus illos, mobilem Quinarium, quia utique moventur & movebuntur, ceu res ipsa testatur; has vero, nomine Quinarii immobilis insignimus, quia oratio nec moventur, nec movebuntur, quam-diuj magna eorum, & pariter immobilis machina durabit, qua continentur. Dicitur hujus machinæ immobilitatem, plurimi Mathematici quidem oppugnarunt, ejusdem mobilitatem statuentes, totumque orbis systema reformantes; sed, operam ludendo, eandem non expugnarunt, varios, à Theologis orthodoxis, passim insultus. Horum, antesignanus erat Nicolaus Copernicus, terræ motum diurnum circa axem, annum in orbem, ac tertium librationum attribuens, sole in centro mundi constituto. Hunc postea, hoc in casu, secutus fuerat Galilæus à Galilæis, sententiam ejus, in Dialogis suis approbens; sed tandem, à Theologis orthodoxis adactus, & Copernici, & suam sententiam, ceu Sacræ Scripturæ e diametro contrariam, damnavit, ejuravit. Ut jam alios, Copernici affectus plures, hic loci, sicco calamo prætereamus; quibus, & quidem masculè, Tycho Braheus, Excellentissimus Mathematicus, illustri genere in Dania natus, sese opposuerat; de quo legi possunt: Thuan. Hist. lib. 125. Gassendus, in ejus vita; Vossius, in opere de Scientiis Mathematicis, & alii plures. Sed hæc erat ~~copernicæ~~ quædam, ergo transeundum ad scopum. Immobilitas inquam, uti commemoratum, Globi Terraquei, impugnata fuit vehementer, immobilis autem ejus Zonarum constantia & firmitas, hac in parte intacta mansit; mente captum enim eundem esse oporteat, qui huc adversari audeat. Ergo restissime, Zonas has quinque terrestres, quinarium immobilem appellamus; circa quem, elegantem ejus divisionem contemplantes, miram, divinæ Sapientiæ vim,prehendimus. Non dicemus nos hic, quod inter has Zonas, duæ frigidæ, totidem temperatæ, & una torrida existat, cum hoc, & lippis & tonforibus notum; Nec docebimus, qua ratione altera frigidarum, in extrema parte Septentrionali, sub polo arctico, circulo arctico inclusa: altera vero, in limite Globi Terraquei australi, sub polo antarctico, circulo antarctico comprehensa pateat, & unde fiat, quod tam rigidum frigus ibidem grassetur? Vel, quam longa nox & dies, observanda, & an tractus hi habitabiles, vel inhabitabiles? Cum hæc & alia, cum aliis, Philippus Cluverius, eruditus ille Geographus, in Introduct. Geograph. Libr. 1. cap. 5. pag. 9. 10. 11. 12. 13. sat luculenter ostendat. Nec commemorabimus, cramben bis coctam evitaturi: quas terræ & aquæ partes, alterutra temperatarum cingat, & quem tractum, torrida Zona ambient? & circa quos circulos procurrant, tam illæ, quam hæc? quam longas dies & noctes habeant? quales umbras meridianas? unde illarum, temperies, & hujus fervor? quales gentes easdem inhabitent, & quæ sint alia; quia scilicet illa omnia, jam commemoratus Auctor, juxta alios, pulcherrimè demonstrat, & nostri Lycei valedicturi cives, quodammodo delibabunt. Hoc autem paucis, & titubante calamo perstringemus; quod elegantissimum instar, virtutum moralium, & earum extremorum, omnipotentissimus & sapientissimus, rerum Conditor omnium, in his quin-

qu-

que Zonis, omnibus mortalibus præsentaverit, adhuc præsentet, & usque ad finem mundi, præsentare non desinet, secundum illud Philosophi: *ὅσοις ἐστὶν οὐρανὸς*. Ecce! posuit ex altera parte, Zonis temperatis hic, Zonas frigidas, veluti defectum caloris, ex altera parte vero, Zonam torridam, tanquam excessum caloris; quid autem est extremum virtutis moralis in defectu, nonne frigus ingens, ejusdem? utique, secundum illud notissimum: Virtus laudatur & alget, quæ sententia, duplicem habere videtur sensum; quem, quilibet sagax Apollo, quam facillimè perspicere potest. Quid denique ejusdem extremum in excessu, nonne calor ingens illius? Sic, sanè, Quid, postremum, mediocritas virtutis dictæ, nonne virtus ipsa? immo, Hinc lucidissime patet: Zonas frigidas, defectus virtutis, Zonam torridam, excessus virtutis, Zonas vero temperatas, virtutis ipsius præ se ferre imaginem. De his ita que, pro suo modulo, dicturi sunt quinque valedicturi Lycei nostri cives, uti supra commemoratum, nulla præeunte dispositione; quos, neque laudabo, neque vituperabo, ne forsan me ipsum, vel laudem, vel vituperem, quod utrumque absurdum; sunt autem eorum nomina sequentia:

I. JOHANNES FRIDERICUS RICHTERUS, Mühlbergâ Misni.
Verba faciet de Zona frigida Septentrionali.

II. CHRISTIANUS DANIEL KÖRNERUS, Torgâ Misnicus.
Dicit de Zona frigida Australi.

III. FRANCISCUS PAULUS FEKNO, Torgâ Misnicus.
Perorabit de Zona temperata Septentrionali, Græcè, & nomine cæterorum valedicet Latine.

IV. JOHANNES CHRISTOPHORUS SINNERUS, Velsaviâ Misni.
Morbo impeditus, differet de Zona temperata meridionali per alium, Latine, nempe, per:

AUGUSTUM THEODORUM HOFFKUNTZIUM, Torgâ Misnicum.

V. PAULUS Ehrenfried BAUERUS, Belgrâ Misnicus.
Contemplabitur Zonam torridam Latine, etiam, morbo correptus, per alium, nempe, per:

JOHANNEM FRIDERICUM CLEMENT; Grofsbothâ Misnicum.

Juvenes dilectissimi, adsit Deus clementissimus cæptis vestris, quò ulterius, in honorem ejus, & spem Patriæ dulcissimæ, porro bonis artibus invigilare ualeatis!



78 M 437



TA → OL


kein Rest.

nur 51. Stk veranlagt bisher

I

1077





I. N. J.
AD

QVINARIUM MOBILEM, —

De

QVINARIO IMMOBILI,

ANNO MDCCLXXVI, die XXVI, Septembr.

QVINARIO-VALEDICTORIO
TURUM,

IN SCHOLÆ TOR-
SUPERIORI,

TERMINENDUM,
MERIDIANA VIII.

ASSIMOS PATRONOS,

ET AMICOS,

REVERENDISSIMUM
HUMILLIME

AVITAT:

FRANCISCVS FERNO,

SCHOLÆ RECTOR.



FRANCISCVS FERNO,
ZACHARIÆ HEMPL,

